



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

337. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

ponere. Quod si ambæ partes ita inter se dis-  
fentiunt ut nullatenus ulla pars alteri cedere  
velit, eligantur duo ex ipsis, qui cum scutis &  
fustibus in campo decertent, & campioni, qui  
victus fuerit, propter perjurium dextra manus  
amputetur. Ceteri verò falsi testes manus suas  
redimant. Duæ partes ex hoc persolvantur qui  
calumniatus est, tertia pro fredo. Et hoc in se-  
culari causa. In ecclesiasticis verò, ubi de una  
parte seculare, de altera ecclesiasticum nego-  
tium est, idem modus servetur. Ubi autem ex  
utraque parte ecclesiasticum, si se rectores pa-  
cificare non possunt, advocati eorum in mallo  
coram Comite causas suas prosequantur. Tes-  
tes autem de ipso comitatu esse debent.

De eadem re. *Vnde supra, cap. xxxii.*

CCCXXXV. Optimus quisque in pago  
vel civitate in testimonium assumatur, & cui  
is contra quem testimoniare debet nullum cri-  
men possit inferre.

Lib. 3. Capi-  
tular. c. 32.  
Addit. Karoli  
M. ad Legem  
Salicam c. 11.  
Lib. 2. Leg.  
Longob. tit.  
51. c. 3.

De eadem re. *Ex eodem, cap. lxxii.*

CCCXXXVI. Ut testes ad testimo-  
nium dicendum præmio non conducantur. Et  
nullus testimonium dicat nisi jejunus. Et ut te-  
stes, priusquam jurent, separatim discutian-  
tur quid dicere velint de illa re unde testimo-  
nium reddere debent.

Lib. 3. Capi-  
tular. c. 52.  
Lib. 2. Leg.  
Longob. tit.  
51. c. 6.  
Burchard. lib.  
16. c. 35.

De eadem re. *Ex Concilio Agathensi.*

CCCXXXVII. Eos qui falsè fratribus  
suis capitalia crimina objecisse convicti fue-  
rint, placuit eos usque ad exitum non commu-

Concil. Are-  
lar. 2. c. 24.  
Lib. 6. Capi-  
tular. c. 241.  
Burchard. lib.  
16. c. 34.

nicare, nisi digna satisfactione pœnituerint.

De eadem re. *Ex Concilio Heliberitano.*

Concil. Elibe-  
rit. c. 75.  
Burchard. lib.  
2. c. 193.

CCCXXXVIII. Si quis Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in finem dandam ei communionem.

De eadem re. *Ex Concilio Hispalensi.*

Conc. Epaon.  
c. 15.  
Burchard. lib.  
16. c. 24.

CCCXXXIX. Si quis Clericus de falso testimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.

De eadem re. *Ex Concilio Agathensi.*

Concil. Car-  
thag. 4. c. 55.  
Addit. 1v.  
c. 20.  
Burchard. lib.  
16. c. 33.

CCCXL. Episcopus accusatores fratrum excommunicet. Et si emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad clerum.

De eadem re. *Ex Concilio Heliberitano.*

Concil. Elibe-  
rit. c. 74.  
Burchard. lib.  
16. c. 18.

CCCXLI. Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur. Si tamen non fuerit mortis quod objecit, & probaverit quod diu tacuit, biennij tempore abstinebitur. Si autem non probaverit, in conventu Clericorum placuit per quinquennium abstineri.

De eadem re. *Ex Concilio Agathensi.*

Conc. Agath.  
c. 37.  
Halitgar. lib.  
4. c. 30.  
Burchard. lib.  
16. c. 17.

CCCXLII. Falsos testes à communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentia satisfactione crimina admiffa diluerint.

Unde suprâ.

Burchard. lib.  
16. c. 16.

CCCXLIII. Noverint falsi testes quod si falsum testimonium capitale crimen non est.